



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

17 Jan. 16 Kal. Feb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)



sultorem secutus, ab eo te vitæ  
bro inscriptum audisti, vermes  
tuo ulcere aluisti, à Sacerdote mo-  
riente dæmonum catervam fuga-  
sti: quo è vitâ discedente, Angeli  
*Te Deum laudamus*, alternis choris  
canere sunt auditi.

S. Honorate Ep. cujus anima  
in cælum abeunti, Sancti obviam  
venisse sunt à pluribus visi.

SS. Titiane, & Mela, Episcopi.

S. Honorate Abba

S. Priscilla, ministra Martyrum

S. Joanna V. contra pestem ad-  
vocata.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, *qua hodie in maximo  
mœrore, ac tremore moribundo Reli-  
gioso tuo clienti mœrorem in latitudinem  
dulcissimam convertisti, dato illi con-  
silio, ut nomen JESU centies pronun-  
tiaret. O MARIA, doce me nominare  
JESUM, amare JESUM, & mori in no-  
mine JESU!*

17 Jan. 16 Kal. Febr.

S. Antoni, qui ad illud in templo  
auditum: *S. vis perfectus esse, va-  
de, & vende omnia, & da pauperibus,  
id fecisti; & adolescens, quicquid*



in ullo virtutis vidisti, æmulari  
 studuisti; tot filiorum sanctus Pa-  
 triarcha, dæmonum tentantium  
 semper victor, & terror, S. Pauli  
 primi Eremitæ hospes, corvo illi  
 tunc panem integrum afferente,  
 cum aliàs tantum dimidium afferre  
 toleret: qui mundum laqueis ple-  
 num conspexisti; & quia humilis,  
 evasisti: qui animas à cæli ingressu,  
 dæmonum gigantum operâ, pro-  
 hiberi vidisti. Ora, ne me prohi-  
 bere possint; ut de illis victor, &  
 humilis, evadam laqueos mundi, &  
 laqueo contrito liberer, asserâr-  
 que in libertatem liberorum Dei.  
 Amen.

Sancti Speusippe, Eleusippe, &  
 Meleusippe, Martyres, qui, ante  
 mortem, effusos è cælo vobis ob-  
 vios Angelorum choros vidistis, à  
 Christo ad beatam æternitatem in-  
 vitati.

Sancti Diodore, Mariane, ac so-  
 cii Martyres.

S. Sulpiti Pie, Archiepiscopo,  
 pluribus de dæmone victoriis, &  
 miraculis gloriose.

S. Genulphe Ep. quem, in asper-  
 rimo cilicio, & cinere morientem,  
 visens S. Petrus, suum dilectum  
 dixit, & ad coronam invitavit: qui



moribundum, unà cum Sancti  
ejus provinciæ, illi assistentibus  
contra dæmones defendisti.

S. Ricmire Abba, qui cæcum  
prius peccata confessum, illuminâ-  
sti.

S. Antoni, cui, quotidianis lac-  
rymis ad cælestia anhelanti, di-  
ctum: *Paratus esto; quia Dominus  
iussit te migrare: cùmque te sumptus  
ad migrandum habere negares, au-  
disti: Si de peccatis agitur, remissa  
sunt; & paratus migrâsti.*

S. Merule, lacrymarum, & elec-  
mosynarum, plene; qui fertum, &  
candidis cæli floribus textum, de  
paradiso, super tuum caput de-  
scendens, vidisti, & lætus cor-  
nandam animam exhalâsti.

S. Joannes, sanctæ indolis ado-  
lescens, qui à morbo divinitus cu-  
ratus, audisti è cælo: *Surge; ex hoc  
enim molestiâ haud morieris: sed pa-  
ratus esto; quia non diù hîc futurus  
es.*

S. Joannes Constantiensis Ep.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, cui cœnobium extruxit  
hodie mortuus Theodoricus Comes  
Flandria, Laus Virginis nuncupa-  
tum. Domus, & cubiculum, in quo  
habito;